

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 11. Februarii 1712.

M. NICOLAO BAILLY, Doctore Medico, Præside.

An alvo pigræ Cassia ante cibum?

I.

EXCRETIONES ut decet peractæ sanitatem efficiunt, & tuentur. Inter illas non negligenda est, quæ crassiorum fœcum est. Harum rejectio, idoneum tempus, legitimumque servans modum, firmam magis, ab injuriisque magis tutam præstat, sanam corporis constitutionem. Aliquandiù subsistit alvus; per imum ventrem, imò per universum corpus persentitur diffusus calor; astrictæ alvi effectus, non causa. Sed alvo prorsùs pigrâ, Cephalalgiæ, Scotomata, aurium tinnitus, Marmarynges oculis obversantes excitantur, interaneorum gravitates, nerveorum plexuum mesentericorum, partium que adjacentium exoriuntur vellicationes, frequentes audiuntur Borborygmi; Diarrhæa progignitur per intervalla repetens, colici doloris, & interdum futuri quondam perniciosioris morbi Prodromus. Quid mirum? Consideranda non solùm veniunt crassiora hæc retenta; factâ ab illis compressione, vasa lymphatica, glandulæ, obstruuntur: Hinc tenuissimæ recrementorum in regiâ viâ, fluidorum in istis strictioribus locis stabulantium, & incalescentium particulæ, nervos, membranas lancinant, vasa quoque subeunt sanguinea, in hisque omnibus corruptionem & confusionem producunt; adeò verum est illud divini senis in Epidemiis oraculum: *ventris torpor, omnium confusio.* Eapropter alvi excretionem moliri sanitatis studiosi tentant, alimentis tenerioris substantiæ, concoctu facilioribus, alvumque emollire valentibus. At certiùs nequeas hæc mala vitare, vel depellere, quàm si assiduò alicujus medicamenti usu, strictam nimis alvum laxaveris; sic servaris laxatam, ut non ampliùs desidiosam esse sinas.

II.

SEGNIS alvi duplex causa est; vitium succi digestivi; validior fibrarum intestina componentium textura. Succus iste in acidum degenerans, alimenta suis acuminibus si subit, horum principia suo si motu disjungit statim; suâ simul rigiditate sulphura ligat, omnia que rursùs confundit. Viscidior tunc producitur Chymus, recrementa quoque daturus viscidiora. Hæc intra intestinorum canalem, quem lentè percurrunt, diutiùs morantur. Per hanc moram invehitur siccitas. Interim à viscosâ excrementorum aciditate bilis retunditur. Induratis sic fœcibus, feriantibus sic fibris, non potest alvus non subsistere: naturalis fibrarum vis, duriorum vincendæ fœcum resistentiæ impar, hanc superare nequit, alteratâ ac corruptâ bilis crasi, fibris aptæ natæ sollicitandis. Nullus verò sit licet, in coctione defectus; una validior intestinorum fibrarum textura, alvum pigram reddere valet. His occurritur causis, aliquid alimentis miscendo, quod naturalem Chymi, bilisque crasim restituat; quod validiorem leniat fibrarum texturam, cùm opportunum adhibeat stimulum.

III.

UT brevior jam Systematum ætas; obsoleta multùm videbitur, quæ hîc proponitur coctionis, subsalsi ope succi peragendæ ratio. Coctio tamen pendet à fermentatione, quæ in ore inchoata, in ventriculo perficitur & absolvitur, huic quàm ulli tritui satiùs ascribitur illa, quæ alimentorum est in sua principia, temporis intervallo breviori facta dissolutio. Ventriculus, ut intestina, motu potitur. Illius qualis qualis sit motio ad dissolutorum alimentorum massam paululùm agitandam, chymumque infra propellendum inservit; ut horum Peristaltica agitatio, ad puriorem istius portionem in lacteas emulgendam, fœculentiores que reliquias extra eliminandas. A fibris major quidem aut minor accedit materiatæ corporis compagi firmitudo. Hæc una illarum virtus, quam sub toni nomine veteres agnoverunt; ab illis principium vitale nullatenus fluit, nec functionum integritas, vel earum læsiones promanant. Fibræ ut bene se habent, à justa humorum quantitate, & temperie; sic patiuntur ab eorumdem vel colluvie, vel vitiositate. Reliqua quæ Geometrarum sunt apage, exactas dimensiones, rigidas supputationes; hæc flagrantiori Systematum amore in medicinam intrusa, progressui artis non minimè officiunt. Ecquid hanc inutilium Axiomatum, & computationum farragine inquinamus disciplinam! quam Hippocrates vir & arte, & facundiâ insignis, à sapientiæ studio, id est ab abstrusiori contemplatione separavit. Quæ medicorum sunt, amplexemur potiùs; datæ superiùs coctionis ra-

tioni insistamus; excretioni moliendæ necessariam dicamus fibrarum vim quam geometricè non supputemus. Huic professioni adhærentes, atque ut sensuales Physici, sensibus obvia consectantes, proponemus id, quod alimentis, ad promovendam fœcum excretionem, adjici possit, absque coctionis pervertendæ, excretionis properandæ metu.

IV.

DISSOLUTA in ventriculo alimenta, flexuosos intestinorum subeunt tubulos. Hoc itineris dum conficiunt, succus pancreaticus, bilisque ipsis admiscentur, ut redintegratâ fermentatione attenuentur magis, puriorque eorum portio faciliùs separetur. Dum hæc fiunt, ex hujus leniter fermentantis massæ sinu, particulæ bilis exhalant, intestinorum motui conservando, ventri sarcinâ deonerando non inutiles. Hæc massa longiores nectit moras, in coli anfractibus, in quibus præsertim ultimæ relinquuntur quisquiliæ, suam hìc loci recepturæ consistentiam, ut ad rectum delatæ, foras tandem ejiciantur. Huic muneri inserviunt fibræ, quarum substantia quandam necessum est obtineat crassitiem, flexilitatis causâ, mollitie temperatam. Crassiores, rigidiores ve paulò intestinorum fibræ, peristaltico motu non probè defunguntur. Hinc quâ parte resistunt illæ, hâc subsistunt fœces, suâ morâ indurandæ; quæ aliis deinceps labentibus viam præcludant, hos obices non superaturis, ni earum tandem evecto sale lacessitæ fibræ, non sine dolore, & conamine, molestum onus segniter detrudant. Utriusque aliquod si levamen est, istud est in cassia ante cibum devoranda. Fistula est, quæ ab Ægypto ad nos advecta, maximè commendatur; includitque medullam usui Medico propriam. Hæc nigredine splendet; substantiâ pinguis est; sapore dulcis, aliquâ admixtâ acredine: quæ dotes inprimis faciunt, ad oppugnandam geminam astrictionis alvi causam. Præpollens in succo digestivo acidum mitigat cassia; rigidiores demulcet fibras: dum illius spicula, vel suâ pingui substantiâ involvit; vel suo levioris acredinis sale frangit: dum has eâdem substantiâ oblinit; quas eodem sale perstringendo leviter irritat, & ad officium invitat.

V.

FOECUM excretio, quæ naturalis purgatio est, ad artificialis modum se se habet. Acres Catharticorum sales, corruptis & viscosis immixti humoribus, dum fermentescunt, hos agitando incidunt, fluxiles reddunt, simul que fibras sarcinâ gravatas pungunt, ut fortiùs se contrahant ad noxia expellenda. Fibræ humoribus per morbum oppressæ, sua non pollent flexilitate; ad quam recuperandam, tùm sarcinâ levari, tùm aculeo excitari postulant. Simili ratione recrementa, quæ singulis,

aut alternis ſaltem rejicienda ſunt diebus, in ſe ipſis habeant oportet, quod ipſamet fluxilia ſervet, fibraſque ad ea expellenda ſollicitet. Iſtud deſit; ſupplendum eſt, & bene quidem caſſiâ ante cibum deglutiendâ. Iſthæc hujus utendæ methodus, cum antiquo conſentit more, viam cibis muniendi, lenientibus & laxantibus primò ſumptis. Neque quicquam inde timendum. Caſſiam flatuum excitandorum notâ infamare velis, falleris; qui flatuum copiâ laborant, ſolatium ab eâ ante cibos ſumptâ recipient, quam Clariſſimi medici poſt cibum imperarunt, ad capitis dolorem poſt cibum ingruere ſolitum. Illam ſtomacho nocere, ipſum relaxare dicas; ſi iſtud metuendum, facile avertitur, addito rhei tantulo: id autem per rarò accidit, multos que potiùs videas, qui totam vitam vixerunt ſanam, aſſiduo & quotidiano hujus medicamenti alimentoſi uſu. Quin & caſſia cum alimentis præterlabens, eam non inducit mollitiem, quâ relaxentur fibræ; id unum potiùs præſtat, ut iſtæ in ſingulos dies mitigatæ, pariter quoque excitatæ moveri diſcant, tandemque alvus ſuâ ſe ſponte exoneret. Et id ſanè multis ex frequenti caſſiæ uſu evenit; ſive iſthæc ſuâ pingui ſubſtantiâ, & ſale ſuo acri, fermentum in glandulis ſtomachicis ſtabulans, atque ſuccum digeſtivum corrumpens abſolutè domet, ſive ſuo leni aculeo fibras frequentiùs inſtigando, ſuum eas officium edoceat; quemadmodum excitator, ſomnum maturiùs diſcutere nos aſſuefacit. Quod igitur id afferre commodi, id beneficii præſtare valet, illud ante cibum innoxiè ſumendum, tam meritò audit; ut æqua, & bene deducta, hæc haberi poſſit concluſio,

Ergo alvo pigræ Caſſia ante cibum.

Aſſerebat Pariſiis ELIAS COL DE VILARS Rupifocaldenſis, Baccalaureus Medicus. A.R.H.S. 1712.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog. 1712.